Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

eius. una cum illo qui illumi
natus est. et pergens cum gaudio
magno. retulit omnia que facta
sunt presbitero. Audiens hermolaus pre
sbiter repletus est gaudio mag
no. gracias agens deo qui tantam
graciam dedit seruo suo pantaleoni
dicens. Benedictus es domine. qui
tantam graciam dedisti credentibus
in te. Et inquirens si ex toto cor
de crederent. baptizauit eos in no
mine domini patris et filii et spiritus sancti.
Tunc ille qui curatus est regressus
est in domum suam gaudio plenus
gracias agens deo. Pater autem
pantaleonis ingressus domum ido
la confregit. et proiecit in foueam.
Quod uidens pantaleon. dedit
gloriam deo. Post modicum temporis
defunctus est eustorgius pater pantaleo
nis. et accepta potestate manumisit
seruos suos. dans eis pecuniam
et dimisit eos. Reliquum quod ei re
mansit pauperibus erogauit. et his
qui in carceribus erant quos maxi
mianus imperator pro nomine domini suppli
ciis macerauit. alimentum prebebat.
et eis medicinam ueram diligencius
exhibebat. Omnis quoque ciuitas
spretis omnibus medicis. ad solum
pantaleonem confugerunt. et auxi
liabatur eis xpistus. Multam inuidiam
sustinuit pantaleon ab omnibus
medicis. Quadam uero die col
lecti sunt omnes medici in unum. et
transibat ille cecus qui a pantaleo
ne fuerat curatus. Quem cum uidis
sent dixerunt ad inuicem. Nonne
iste est cecus quem non potuimus cura
re? Et quis eum curauit? Et uo
cantes eum ad se interrogabant
dicentes. Quis te curauit? Dixit
illis qui fuerat cecus. Pantaleon
filius eustorgii senatoris. ipse me
curauit. Et medici dixerunt eu
frosino magistro eius. Nonne disci
pulus tuus est? Eufrosinus dixit
de eo. Fuit. Et medici dixerunt. Per
salutem deorum quia magnus magister
est discipulus tuus. ignorantes quia
in nomine xpisti eum curauit. Ex
illa uero die multam inuidiam
perpessus est a medicis. et querebant
qualiter eum perderent de ciuitate. quia
omnis ciuitas ad eum confluebat.
Post paucos uero dies inuenerunt
pantaleonem unum xpistianum curantem.
et exeuntes ad maximianum impera
torem accusauerunt eum dicentes.
Domine imperator pantaleonem iussisti
ut artem disceret medicine. uolens
tecum in palacio habere. ipse his qui
diis iniuriam faciunt: medicinam
prebet atque humanitatem exhibet.
si non eum de ciuitate perdideris. mul
tos a sacrificiis deorum separabit. et
doctrinam asclepii annichilet. Tunc
rogauerunt imperatorem ut illum ad
duceret. qui a sancto pantaleone
fuerat illuminatus. Qui cum adduc
tus fuisset: dicit ei imperator. Dic
modo quis te curauit? Ille dixit.
Pantaleon filius eustorgii senatoris
me curauit. Imperator dixit. Quo
modo te curauit? Ille respondit. Xpistum in
uocauit. et lumen mihi donauit. Impera
tor dixit. Erras homo: per uirtutem
deorum te curauit. non per uirtutem ihesu
qui dicitur xpistus. Ille respondit. Errabam
utique quando demones adorabam.